



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 13. Sacerdotes ne sint in habitu dissoluti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

euagantur; Si quis Presbyter, vel diaconus re-
 cta sua parochia in aliam abcesserit, eum non am-
 plius celebrare iubemus. Hæc decreta attendite
 vagi Sacerdotes, vobisque persuadete, Deum
 vos, dum sine licentia discurretis, grauiter of-
 fendere, Conciliorum statuta transgredi, vo-
 bisque illicitum esse Missam celebrare, vel sa-
 cra & diuina peragere.

Venatio
 Sacerdoti-
 bus inhi-
 bita.

Dist. 34.

c. eod. de

Cler. ven. c. 2

Concil. Mo-

gant. ne Cle-

ric. vel Mo-

nachi. c. 1.

Dist. 86.

c. eod.

Omnibus seruis Dei, docent Canonista, id est
 Clericis, venationes & siluaticas vagationes cum
 canibus, & vt accipitres & falcones habeant, in-
 terdicimus. Hodie verò statuta illa violantur
 & passim negliguntur, cum non nisi religiosos
 & Ecclesiasticos per agros & siluas venando
 oberrantes videamus, accipitres & falcones
 educare, per montana & ferarum spelæa diua-
 gari, & magno cum suorum scandalo venati-
 oni incumbere.

Esau, inquit Hieronymus, venator erat, quod
 peccator, & penitus non inuenimus in scripturis
 sanctis sanctum aliquem venatorem, piscatores
 inuenimus sanctos. Notatu res dignissima, Sa-
 cerdotes, & Religiosos, si sancti & deuoti esse
 velint venationem fugere debere, qui verò ei-
 dem student, Esau imitari, & eiusdem etiam
 peccati participes fieri, venatio enim & pie-
 tas simul nequeunt consistere.

CAPVT XIII.

Sacerdotes ne sint in habitu dissoluti.

Eccl. 19.
 Ex habitu
 quis agno-
 scitur.

Dixit olim Salomon, Amictus corporis &
 risus dentium, & ingressus hominis enun-
 tiant de illo. Et reuera, Sacerdotes, ex habitu
 quis

quis agnosci potest, adeo vt quicumque Ecclesiasticorum in habitu dissoluti sunt, virtute se carere, & internè non benè dispositos esse declarent.

Irritatus olim aduersus Israëlitarum luxum & fastum Deus, per Sophoniam Prophetam ait, *Sophoa.*
Vistabo super eos qui induti sunt veste peregrina. Quibus verbis elicere possumus, Sacerdotes & religiosos qui nouo & peregrino schemate induti sunt, Deum ad iracundiam prouocare, & grauissimè corripi debere.

Verus lex vetabat, ne quis vestem diuersicolorem & è duabus materijs paratam indueret, *Leuit. 19^o*
Veste que ex duobus texta est non indueris. Evangelica lex idem omninò vetat, Sacerdotes inquam prohibet, diuersicoloribus aut coloratis vestibus uti. sunt enim hæ vanitatis indicia, & mundanorum Symbolum.

Benè proinde consuluit olim Sapiens, *In vestitune glories vmquam.* Diuinum & egregi. *Ecl. 11^a*
um consilium, quo docentur Sacerdotes, in vestenon superbire, vanitates fugere, & fastum *Nemove-*
intoga non querere. *sticu glori-*
etur.

Achab quòd vestem bellicam assumpsisset, seseque militem ostendisset, in conflictu occubuit, *2. Paral. 18.*
Mutato habitu venit ad bellum. Allegoricè Achab ob
hoc exponens dico, Sacerdotes qui omnes re- *veste mu-*
ges quidam sunt, ad in Ecclesiæ castris confi- *tatam in*
gendum vocati sunt, cum imprudenter habitum *bello oc-*
mutant, & veste religiosa exuta, secularè assu- *cubuit.*
munt, atq; ita se saluare posse cõfidunt, se penumerò in mundi huius cõflictu occubere, in eoq; simul & honorem, salutem, & vitam amittere.

Quod ad nuptias regias, quas Euangelium describit, quidam non vestitus veste nuptiali *Matth. 22^o*
intraf-

intraſſet, à rege non parùm indignitate exitu iuſſus fuit, audiuitque: *Anice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Quo docemur, quòd quemadmodum Eccleſiaſticos ſuperba indui veſte nefas, ita & ſordidis inquinatiſque: Deusque irafcatur, quando Sacerdotes & Religioſi malè veſtiti, diſſuti ac diſſinchi in atrium Eccleſiæ, ad regium illud Sacre Eucharistiæ conuiuium ingrediuntur.

Zachar. 3. Zacharias Propheta de gloria & ignominia Meſſiæ agens, ſub magni Sacerdotis Ieſu imagine, ait Angelum, qui illum ſordidis & laceris indutum conſpiciebat, quamprimùm illum honeſta & ſplendida veſte indui voluiſſe, ſcrutaque ab eodem auferri, *Qui reſpondit, & ait ad eos, qui ſtabant coram ſe dicens, Auferite veſtimenta ſordida ab eo.* Hinc eruitur Angelos etiam ipſos non parùm indignari, cùm viderint, Sacerdotes malè veſtitos, & iniquo ferre animo, cùm ſordidis illos conueſtitos conſpexerint.

Aaron indutus veſte ſancta Exod. 28. Pontificiam Aaronis veſtè graphice Moſes deſcribens Deus, voluit illi veſtem parari ſanctam ſacramque, cùm tabernaculum ingrederetur, *Faciesq; veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.* Præceptum hoc myſterio non vacabat: denotabat enim, velle Deum vt Sacerdotes ſui honeſtè induerentur, cùm Sacra in Eccleſia officia peragunt.

Eccl. 9. Vnde bene ſuadet Eccleſiaſticus, *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deſiciat.* Sacerdotes forſan alloquitur, vultque eorum veſtes ſemper mundas eſſe, vtque oleum miſericordiæ numquam à capite illorum deſiciat.

Gaudens gaudebo in Domino, ait *Isaias*, & *exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestes salutis, & indumento iustitiae circumdedit me.* Hinc colligo fideles, Sacerdotum vestes, salutis & iustitiae indumenta esse debere, id est munda & honesta, nihil ut illis desit aut superfluum sit. Extrema quippe vitium redolent, virtus verò in medio consistit, qualis est etiam iustitia.

Iacob cum coram patre compareret; tam gratum vestimenta illius odorem reddebant, ut Iacobi Isaac fragrantiam illorum percipiens, eum ut vestes resilium agnouerit, paternamque sit illi benedictionem impertitus. Moralis historiae huius sensus denotat, Sacerdotum & Religiosorum vestes redolere debere & gratum odorem spirare, si filij Dei agnosci & haberi, & Patris illius benedictionem promereri voluerint. cū verò munda fuerint, nitida, & ab omni macula & nauo libera, tunc omnibus quā gratissimū odorem edunt.

Sponsus dilectae suae ait, & *odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Quam gratum verò ac iucundum Religiosorum & Sacerdotum vestimenta odorem spirant, cum nihil vanum, superfluum, immundum in ijs apparuerit, sed omnia munda, elegantia ac nitida fuerint! nihil porro gratius & redolentius haberi potest.

Ochozia regis milites virum quemdam, quem in deserto viderant, depingentes dicebant, *Vir pilosus & zona pellicea accinctus renidens.* Rex vero ex habitu virum agnoscens & ex iudicare illo de illius meritis iudicans, ait *Elias licet. Thesbites est.* Inferre hinc volo, ex habitu Ecclesiasticorum seculares de illorum vita indicium ferre; si enim sordida & immunda

Vestes Sa-
cerdotis
sint salu-
tis & iusti-
tiae.

Gen. 27.

Cant. 4.

Ex habitu
de vita
licet.

immunda

immunda sunt, viles & mechanici habentur, si verò honesta & nitida, vt Prophetæ suspiciuntur.

David cilicium gestabat.
Psal. 68.

Denique Sacerdos vti nec sordidam, ita nec splendidam superbamque vestem gestare debet, neu eadem insolescere; at regium Prophetam imitari, qui cum quotidie ostro & purpura splendescere posset, cilicium ferremaluit; quare omnem mundi vanitatem perosus dicebat, *Posui vestimentum meum cilicium.* O vestem regiam, ô paludamentum splendidum, cum Sacerdotes cilicium ad renes accingunt, in eoque gloriantur!

Hebr. 11.

Apostolus veteris testamenti viros magnos & eximios dilaudans, à vestium simplicitate imprimis eos deprædicat, quod pellibus caprinis & camelinis accincti per deserta, solitudines, & speluncas vagarentur, *Errauerunt in montis, in pellibus caprinis.* Illi verò Sacerdotes laude digni sunt, & veteres deserti incolas imitantur, qui simplici induti veste honesta tamen, per mundi huius desertum vagantur.

Bruson. 1.3.
c. 13.

Imperator Seuerus honesta & modesta contentus veste, tantam modestiam demirantibus dicebat, *Imperatoria maiestas virtute constat, non corporis cultu.* Ita Ecclesiastica dignitas & Prælatorum ac Sacerdotum maiestas in virtute, decoro, religione, non in vanitate & habitus splendore alijsque vanitatibus consistit.

Apocalyps.
18.

Meretrix Apocalypicos ob vestium delicias condénata

In condemnatione meretricis Apocalypicæ dictum est, *Quantum se glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum.* Hinc discant Sacerdotes mali & gloriosi, quantum hic in togis & vestibus se iactarint ac superbierrint, tantum in altero sæculo castigandos se & pani-

puniendos. Notate hoc delicatuli, vosque ani-
mi lubrici & lasciui.

Philippus Macedo cum videret Antipatrum
quem praefectum alicuius loci constituerat, ca-
pillostinxisse, & barbam mentitum, a dignitate
illum amouit, dicens, *Qui in capillis fidelis*
non essent, eum in rebus gerendis non videri di-
gnum cui fideretur. Quod Princeps ille de ini-
quo & corrupto praefecto, ipse de nefario Sa-
cerdote potius mihi dicere posse videor, illum
scilicet qui crines & barbam adulterat, &
vestem splendidam gestat, dignum esse qui ab
officio deponatur & beneficio priuetur. Qui
enim in veste fidus non esset & sincerus, nec
in animarum salute procuranda futurus videtur.

Caesar Octavius cum videret filiam Iuliam
superbis & splendidis indutam vestibus, eam
acriter corripuit; quare eum postridie seposito
luxu modestiam quamdam in vestitu praetulif-
set, ait; *Quanto probabilior est hic cultus tam hone-*
stus in filia Augusti? Imperatoris hoc apophthe-
gma ut in rem meam usurpem, dico, omnes non
mediocriter offendi, eum Sacerdotes & pasto-
restam splendide vestiti Ecclesiam ingrediun-
tur ut aulam redoleant, ideoque omnes scan-
dalo esse: cum vero sine vlla vanitate & super-
bia modestiam in vestitu praeferrunt, veros se
Dei filios & summi Patris amicos, quales om-
nes Sacerdotes sunt, ostendere.

Idem quoque Imperator luxum omnem & va-
niratem auersatus dicere solebat, *vestitus in-*
signis ac mollis superbia vexillum est, nudusque
luxuria. Digna summo Imperatore sententia,
cui innitens assero, Sacerdotes & Ecclesiae Prae-
sules dum superbire in vestitu & insolescere
F f gestiuo.

Præsules
gloriosi
deponi
merentur.

Erasm.

lib. 4.

apophth.

Macrob. l. 2.

Saturn. c. 73.

Sueton. in

vita. c. 73.

gestiunt, superbiā & fastū suū ostendere, non nisi lubricitatē spirare, castitatem prodegitte & superbia simul & libidinis vexillum præferre.

Diogenis
Iepidum
respon-
sum.
Laërcius
lib. 6.

Quam scitè respondit Diogenes ad quæstionē quā iuueneculus quidā cōptulus & calamistratus, & fucato vultu & peregrini muris olens pelliculas proponebat. *Non tibi*, inquit. *prius responsurus sum quā sublati vestibus ostēderis viri masculus sis an femina.* Philosophos hoc ad omnes omninō mortales mollitiem spirantes retulit, ipse de Sacerdotibus dumtaxat & Episcopis dicam, illos, cum calamistrati, cincinnati & compti in publicū prodeunt, effeminatū & abiectū, nō verò heroicū & virilē animū præferre.

Lib. 2. Pa-
dag. c. 10.
Lacedæ-
moniorum
instituti-
um.

Lacedæmonios celebrat Clemens Alexandrinus, quod solis meretricibus & lenis vestes fucatas & elegantiores ferre permitteret. Recta profectō consuetudo & laudabilis; nam vestis lautior & exquisitior virum honestum non dolet, sed impudentiā & lasciuiā animi arguit.

Lib. 12. c. 6.

Item Syra-
cusano-
rum.

Syracusani lege etiā publica, teste Athenæoauerat, ne quis dissolutionē aliquā aut luxū vestitu ostēderet, nisi se moechū aut cinēdū publicè declararet. An nō Gētiliū hæc instituta pudorē vobis incutiūt Sacerdotes? an non vos quā pudeat ita veste lasciuire, tā indecora indumēta gestare? ostenditis profectō infames vos esse, impudentes, effrontes, & omnem honorē pudoremque pedibus proculcasse.

Epist. 42.

Sanctus etiam Bernardus de hoc Sacerdotū in vestibus luxu loquens, ait, *Cernitur in nonnullis Sacerdotibus vestiū cultus plurimus, virtutū autē nullus aut exiguus.* Hæc mūdi demētia & superbia est: verū tamen plurimos hodie Sacerdotes vestibus magnatibus per similes videre est, virtute verò scurris.

Idem quoque, eodem loco hanc Ecclesie calamitatem deplorans ait, *Verum tu Sacerdos Dei Altissimi, cui ex his placere gestis, mundo an Deo? si mundo, cur Sacerdos? si Deo, cur qualis populus, talis & Sacerdos &c.* Dicere vult pium Sacerdotem, qui soli Deo placere desiderat, instar populi vestiri non debere; qui verò mundo placere & superbire in vestitu voluerit, Sacerdotali dignitate abstinere debere.

Sacerdotes & Diaconi, inquit Pontifex Zacharias, *secularem habitum non gestent, neu sine tunica vel veste oblonga incedant: nam sicut mulier orans in Ecclesia, non velato capite deturpat caput suum, iuxta Apostoli vocem: ita Sacerdos sine operimento deturpat Sacerdotium suum:* Comparatio hæc & decretum Pontificium dicere volunt, Sacerdotem parùm cordatum numquam nisi sacros & Sacerdotio conuenientes vestes ferre oportere.

Leo quoque Papa eundem feriens scopum, nefas esse, imo indecorum ait, Sacerdotes sine Sacerdotali habitu extra domos apparere, ne quas seculariù iniurias pariatur. Est enim longè indecèrissimùm, & scandalùm pariens, Sacerdos aulico ritu vestitus, & peregrinum schema præferens.

Iure etiam Canonico statutum, vt si Sacerdos in vestitu excessisse comperiat, per sex menses à perceptione fructuum quos obtinet, sit eo ipso suspensus. Cum verò Ecclesia tam seuerè in luxum vestium animaduertat, euidentis argumentum est, non exiguum hic peccatum delitescere.

Dixit olim Bernardus, vestium luxum, pompâ & splendorè, & omnè exteriorè superfluitatè interioris vanitatis indicium esse. Et verùm dixit,

Ff 2

nam qui interioris,

Sacerdos qui Deo placere velit, in veste non sit luxuriosus,

21. q. 4. c.

Episcopi.

Sacerdos numquam sine tunica incedat.

Leo. 4. 21,

q. 4. c. ead.

Clem. 2. de

vita & ha-

nest. cler.

In Apolog.

Exterior

superflui-

tas signum

vanitatis

nam qui interioris,

nam quicumque in veste splendidus & effusus est, in moribus se etiam leuem, lubricum & insolentem esse declarat; omnisque ille exterior ornatus & superfluitas internam imperfectiorem declarat.

*Ad Nepo-
titan.*

Ornatus, inquit Hieronymus, & sordes pari modo fugiendae; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Egregium documentum Sacerdotes, non esse vobis vestes curiosè nimis & lascivè componendas, imò nec vestium cultum negligendum, sordesque affectandas; virtus siquidè mediocritatè amat, in extremis vitiù situm est. Vestis igitur vestra christiana sit, honesta, non verò exquisita; luxum & vanitatè fugite, ac videte ne quod per dissolutionem vestitus mundo scandalum afferatis, simulque Ecclesiam destruat.

CAPVT XIV.

Sacerdotes alijs ne sint scandalo.

*Exod. 21.
Scanda-
lum pute-
us in quem
alijs præci-
tant.*

IN lege Mosaica hoc decretum tulit Deus, Si quis aperuerit cisternam & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, reddet Dominus cisternæ pretium iumentorum, &c. scandalum puteus est Sacerdotes, & vorago, in quam miselli peccatores velut asini precipitant; quicumque verò ipsum aperit, nequamprimum operit, omnium animarum quæ in eodem submerguntur, & in idem peccatum delabuntur, rationem coram Deo reddet.

*2. Reg. 12:
Dauid cor-
ripitur
quod pec-
cando alijs
scandalo
fuerit.*

Nathan Propheta cum Dauidem admissio peccato corripere, eiusque delictum castigaret, scandalum imprimis quod subditis & gentibus dederat, in eo reprehendit *Quoniam blasphemare fecisti nomen Domini. Sacerdotes, qui reges quidam*